

Partitio XV.

*Quomodo fiat gustatio, & de organo
gustus?*

PLures ex ijs, qui tenent necessarias esse species intentionales pro visu, auditu, & olfactu, negant tamen esse necessarias pro gusto, & tactu; & ratio eorum est: quia secundum est obiectum gustus, & tactus esse proximum potentiae gustativae, & tactus secundum esse reale, ut docet experientia. Alij tamen, licet hoc dicant necessarium, attamen propterea requirunt species intentionales, ut potentia viatur obiecto inesse intentionali. Quidquid sit de his, conformiter ad nostram opinionem de vnione potentiarum cum obiecto sapientius explicatam statuenda est resolutionis.

DECISIO.

*Num. 18.
Neg. per specie-
tis, neg. per
esse reale, sed
sympathice
gustus im-
mutatur a
sapore.*

Resolutio. Sapor mouet gustum eo modo, quo diximus, quod color, sonus, & odor mouent suos sensus, nempe per sympathiam potentiae ad obiectum; nam si non requirantur species pro alijs sensibus, neque a fortiori requirunt pro gusto; experientia enim docet quod ut percipiatur sapor, debet apponi supra linguam: Quod si queratur, unde hoc proveniat, & cur non æquè bene percipiat ex magna distantiâ, atque percipitur color, odor, & sonus? nihil aliud responderi potest, nisi quia sympathia potentiae gustativae non potest exerceri, nisi sit obiectum proximum secundum suum esse reale: sic pscis, qui dicitur remora, non sicut nauis, nisi sit coniunctus ipsi nauis, at magnes attrahit ferrum, licet distans a ferro, cuius rei nulla alia est ratio, nisi quia illarum natura id postulat, nam etiam nihil aliud potest responderi ab admittentibus species, cur color emittat a longe suas species, non tamen sapor, nihil, inquam, responderi potest ab illis, nisi quia dictorum obiectorum, & dictarum potentiarum natura id requirit.

*Num. 19.
De organo
gustus.*

Pro organo gustus nota ex cerebro descendere duos nervos, qui vbi pertinunt ipsam linguam per varios ramusculos, pertotam linguam disperguntur, & in ijs secundum Philoporphos, & Medicos dicitur residere potentia gustus, que præsternit viget in cuspide lingue; dum enim apprimè volumus aliquid gustare, illud reducimus ad cuspidem linguæ; non tamen negamus, quin per totam linguam, imò ad palatum vique protendatur potentia gustativa, medium vero, per quod gustus percipit saponem, est ipsa caro spongiosa linguæ, attamen quamvis immediate super nervos apponetur sapor, ille perciperetur à gusto.

Partitio XVI.

*De obiecto potentia tactus, eius
medio, & organo.*

Vltima potentiarum sensituarum externarum est tactus; tactus autem tribus sumi-

tur modis: Primo pro qualibet re animata, sive inanimata aliam tangentem: sic duo lapides sibi inuicem coniuncti dieuntur se inuicem tangere. Secundo sumitur pro potentij sensitiua obiecta percipientibus; ut enim percipientia sua obiecta, debent ipsis vniuersi, seu ipsa tangere sive per species, sive per esse reale, sive per sympathicum, quomodo omnes potentias sensitivæ dicuntur tactuæ. Tertio, & magis propriè sumitur tactus pro illa potentia, qua nata est de se percipere quatuor primas qualitates, & in hanc sumptione sumimus potentiam tactuam, circa quam queruntur tria in titulo posita, nempe de eius obiecto, medio, & organo.

DECISIO.

Resolutio prima. Obiectum primarium, & per se potentia tactuæ sunt quatuor primæ qualitates, nempe calor, frigus, humiditas, & siccitas; Ratio est, quia talia primo, & per se percipiuntur a tactu, & experientia id ipsum edocet, nam quæcumque percipit tactus, ea percipi ratione primarum qualitatum, vnde huiusmodi secundæ qualitates, asperitas, molles, levitas non sunt nisi obiecta tactus secundaria, nec percipiuntur, nisi ratione primarum qualitatum. Verum occurrit non modica difficultas, an tactus percipiat solùm exuberantias suorum obiectorum? pro cuius rei intellectio.

*Num. 20.
Obiectum pri-
marium ad-
quatam pa-
tentie rati-
ne sui qua-
tor primæ
qualitatibus.*

Præmittendum est primo, illud verissimum esse axioma: *Potentia, ut percipias suum obiectum, debet esse denudata: potentia auditiva, ut percipiat sonum, debet esse denudata sono, id est nullum debet habere in se sonum, pupilla nullum colorem, sive de alijs, & hac de causa sit, quod quando potentia gusto est infecta aliquo sapore, v.g. amaro, omnium quæcumque ipsis apponuntur, sentiantur amara.*

Præmittendum secundo, organum potentiae tactus non esse denudatum suo obiecto totaliter; nam obiectum tactus sunt quatuor primæ qualitates, & ipsum organum est compositum ex quatuor primis qualitatibus, sicut est totum animal, & quia totum animal participat quatuor primas qualitates, etiam quelibet pars eius participat quatuor primas qualitates. Nodus ergo difficultatis est, an si apponatur calor meæ manu ut quatuor, & temperamentum meæ manus sit calidum ut duo, an, inquam, percipietur calor obiecti ut duo, an vero percipietur ut quatuor? illi autem duo gradus vocabuntur exuberantia obiecti, id est calor obiecti ut quatuor superabit ut duo calorem organi.

Not. 21.

Resolutio secunda. Potentia tactuæ percipit tantum exuberantias sui obiecti: Probatur primo ex illo axiomate, potentia debet esse denudata suo obiecto: sed potentia tactuæ ex suppositione est iam calida ut duo, ergo debet diminuere de sensatione sui obiecti illud, quod habet in se; si ergo obiectum sit calidum ut quatuor, & organum ut duo, calorem tantum ut duo percipiet ipsa potentia.

*Num. 22.
Tactus tan-
tem percipit
exuberantias
sui obiecti.*